chonias annulus in manu dextera mea, inde evellam. A ſe ipſo deficeret, ſi ita iuſtitiæ non conſuleret: ideo David Pſalm. 5. 5. meditanter non dixit: *Deus non volens iniquitatem*; ſed, *Non Deus volens iniquitatem, tu es.* Quia Deus, & quia creavi, cum homine largiſsima uſus ſum indulgentiâ, recrudeſcit amor malitiâ. Sceleribus addictum delebo hominem, quem creavi: criminibus non creavi, ſed ut potiretur in hoc ſæculo gratiâ, futuro gloriâ.

Pſalm.

29 *A facie terræ.* Ecce unum ex fundamentis Gundiſalvi Salenſis pro duplici terra, cuius ſententiam, ſeu potiùs delirium impugnavimus *Tom. 1. Tautolog.* 1. igitur à facie illius terræ exturbatis hominibus, Noë in oppoſitam telluris alterius partem arcâ migravit, & ad eius exitum, terra quæ uſque ad illum aquis latebat oppleta, apparuit ſicca. Fugiſſe aſſerit huiuſmodi cogitationem Doctorum ingenia, ideoque ingenti ſupercilio vocat proprium Enthuſiaſmum. Sane tunc conceſsi, quia ineptiſsimum propoſitum; ſed incidi poſtea in Tom. 1. *Adagial.* Doctiſsimi Delrij, qui *Adag.* 789. refert cuncta, quæ fulcra paradoxi Salenſis, & quorum Auctorum opiniones, inter quos primipilus Moyſes Barcephas. *Infelicis ingenij eſt* (dixit Plin. in Præf. *Hiſt. nat.* Veſpaſ.) *deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere.* Hanc ſententiam prætulerunt alij: *Non ego*: (ait Delrius ibid.) *quoniam univerſa illa de terra alia narratio mihi redolet fabulas Aſiaticas, quarum Oriens ſemper fuit feraciſsimus.* Ergo ſerijs.

Non fuit duplex terra.

Plin.

Delr.

30 *A facie terræ.* Duntaxat? Non etiam à cœlo? Quæſtio celebris eſt: *An omnes qui diluvio perierunt, inferni quoque æternis ſupplicijs damnati fuerint?* Affirmat Pererius hic *lib. 9. Diſp.* 3. à num. 53. Contraria omninò multorum placita, & iurè, inter quos Proſp. Aquitanicus, qui in Opuſcul. de *Provid. Dei*, cecinit v. 840.

Non autem dubium eſt in magnæ turbine cladis
Involvi teneros annos, & more parentum
Criminis expertes aliena occumbere culpa.
Nam cùm homines pontus tegeret, deleta per orbem
Multa puellarum, & puerorum millia notum eſt,
Nec tamen iniuſtè terris exempta videtur
Progenies auctura malos, cui multus in ipſo
Exitio eſt collatus bonos.

Pondus cogitationis Pererij ſtat in auctoritatibus, quæ Interpretum plurium torſerunt ingenia, & adhuc negotium faceſſunt ſtudioſis Scripturarum: vide ergo ea apud ipſum latè loc. cit. Non aſtruimus, impœnitentes fuiſſe eductos ex inferno inferiori, prædicatione Chriſti, quod quidem adverſatur fidei; ſed multos, impœnitentes non eſſe mortuos. Patet ex 1. Petr. 3. 19. 20. ubi de Chriſto Apoſtolus: *Vivificatus ſpiritu, in quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca.* Explicato catholicè huiuſmodi teſtimonio, clarebit concluſio. Brevì agam, quippe dubium incidens, nec ad Tautologias ſpectans.

Omnes qui diluvio perierunt, non fuerunt æternis damnati ſupplicijs.

1. Petr.

Brevì, dixi: quoniam intellectis de Purgatorio, quæ aliqui intelligunt de damnatorum inferno, nulla erit in Auctoritate difficultas, & ſimul conſtabit Novatorum malitia, vel fatuitas. Conſule Alphonſ. Mendozam *Quodl.* q. 1. Expoſit. num. 4. & Nicolaum Romœum in *Effig. Calvini*, color. 14. Non opus eſt caput impingere, ut eorum qui ambulant in circuitu conquaſſentur capita. Aſtruetur liquidò, præter parvulos doli non capaces, ſacrificio uſitato in lege naturæ labis originalis expertes, ſalvos fuiſſe aliquos adultos, & deportatos in Purgatorium, quippequàm vel morte temporali, pœnarum criminum non ſatis luitum. Modò ad Textum. Chriſtus mortuus carne, vivificatus eſt ſpiritu (ideſt, anima) *In quo*, quoniam necdum reſurrexerat, *His ſpiritibus, qui in carcere* (nimirùm, in Purgatorio) *erant, veniens* (hoc eſt, deſcendens de cruce in inferiores partes terræ) *prædicavit* (ſeſe oſtendit, apparuit: quæ acceptio nova non eſt, ut dicemus *Tom. 6. Tautolog.* 8. Ad illud Ionæ 3. 2. *Prædica prædicationem*, & confirmant Oecumenius, & Caietan. hic, ipſeque Pererius num. 69. *Prædicavit* ergo his ſpiritibus, *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca*: & poſtquàm cœpit, vel progreſſum eſt diluvium, pœnitentiam egerunt; ſed non ita congruam, vel condignam, ut mererentur deportari in limbum, vel ſinum Abrahæ, ſed in Purgatorium, quouſque adveniret, qui penetrando inferiores partes terræ, illuminaret omnes ſperantes in Domino. Hoc patet ad alia, maximè ad illud Petr. ib. cap. 4. 6. *Propter hoc enim & mortuis evangelizatum eſt*, ſive intelligas manifeſtationem retentis in limbo, vel in Purgatorio.

Mendoz.
Romœus.

Prædicari, pro manifeſtari.

Sunt

31 Sunt variæ Interpretum lectiones. *Tactus dolore cordis intrinſecùs.* Perſ. Pagninus, & Vatabl. *Doluit in corde ſuo.* Septuag. *Recogitavit.* Ar. Montan. *Adolevit ad cor.* Hebr. *Contriſtavit ſe Deus.* Caietan. *Doluit ad cor.* Oleaſtr. *Anguſtiâ affectus eſt ad cor ſuum.* Maluend. *Dolore ſauciavit ſeipſum ad cor ſuum.* Tigurin. *Contriſtavit ſe in corde ſuo.* Lippom. *Contriſtatus eſt in corde ſuo.* Syr. *Et doluit.* Dior. Tarſenſ. *Solicitudine affectus eſt.* Procop. *Et iratus eſt.* Targum Hieroſol. *Et diſceptavit in corde ſuo.* Arabic. *Abominatus eſt.* Haye. *Doluit apud animum ſuum.* Rabb. Ionath. & Hieronym. *Iudicavit eos ſermone ſuo.* Denique Onkel, Ambroſius, Auguſtin. & alij, ſicut Græca legunt, & exponunt: *Cogitavit.* Cominùs ad motum amuſsim, nequando iraſcatur Dominus, ſi perimus de via iuſta.

Verſiones.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. Excurſ.

1. *Tactus dolore*, ne levi vel ingrati tangerentur cruciamine.
2. *Tactus dolore*, & intimè; quòd diram ſervitutem vocet homo libertatem.
3. *Tactus dolore*, quia vulneribus icti, minimè tacti.
4. *Tactus dolore*, & intrinſicè; quippe caſtigare neceſſe.
5. *Delebo inquit*: & dolet? Vel in vindicta iuſta iuſtitiæ pœnitet.
6. *Delebo hominem*: & dolore tactus? Delebo ſanè, quantunvis tactus dolore.
7. *Delebo hominem*, ſine pœnitentia: aliter crimina.
8. *Delebo hominem*: impium, non iuſtum; quia in iuſtitia eſt acceptio meritorum, non perſonarum.
9. *Hominem, quem creavi.* Si hominis creatio, creationem utique ſubſequetur pœnitudo.
10. *Delebo hominem, quem creavi*: *ſed à facie terræ*, ut præſenti ſupplicio ſalventur animæ.

DIDASCALIA PRIMA.

Liberalitatem clariorem ingratus facit.

1 DIxit Plinius *Paneg.* Traian. pro Conſulat. Clareſcit, quia lux in tenebris lucet. Quò plùs abſconditur in regione oblivionis, eò magis lateſcit gratia artificio obſcuritatis: verùm ſi extinguere ſatagit pectoris ingratitudo, magis ac magis rutilat in caliginoſo loco: etenim generoſitati ſolicitat ſplendorem, quiſquis oblivione præparat beneficientiæ caliginem. *Non eſt beneficium, quod ad fortunam ſpectat*: dixit Cordub. Stoicus lib. 4. *Benef.* cap. 3. Gratum invenire, fortuna eſt; & munificentia nunquàm pendet à fortuna. Qui vult gratè excipi obſequium, reſpicit ſimul fortunam, & beneficium: cæterùm ſolùm poteſt dici beneficus, qui habet, ut faciat; neutiquàm qui facit, ut gratulationem metat. *Adeo ingratus eſt, qui oblitus eſt* (aſtruit idem ubi ſupr. lib. 3. cap. 5.) *ut gratus ſit cui beneficium in mentem venit.* Inſignis reflexio! Gratus ingratus? Utique. Liberalitatem gratus iucundam, ingratus facit clariorem: & gratus magis notatur, quiſquis beneficiorum obliviſcitur; quippequàm ni accipiens ingratus foret, fulgor liberalitatis non clareret.

Plin.

Beneficium extra fortunam eſt.

Senec.

Ingratus quo pacto gratus benefactori?

Idem.

2 *Quo extinguitur, ardet*: lemma fuit ſymboli, quo fax in aqua accenſa: excogitati à Villava in *Symbolis ſpirital.* Hæc præſtat generoſi amoris inclyta nota: igitur ardens creſcit incendium pectoris, quò extinguitur efficaci fomite ingratitudinis. In pertrito teſtimonio rutilat amor ingenio. Poſtquàm de dæmone, maieſtatis ſcrutatore, inſignem Chriſtus reportavit victoriam, & nobis ex victoria contulit palmam; diabolus victus, *receſsit ab illo uſque ad tempus.* Quodnam ergo tempus in tentationem deſtinatum, ut denuò iniret victus cum maieſtate conflictum? *Ut tædio vincat*: reſpondet Ambroſius lib. 4. in *Luc.* Nullum charitas habet validiorem adverſarium, quàm ingratitudinem: & ut tædio vinceretur victor, machinatur victus cordium rationalium rebellionem; quoniam arte nulla fortiùs arceri poteſt curſus velocioris dilectionis, quàm obice maximè meditatæ pectoris ingratitudinis. Spe excidit vafra calliditas, etenim prævaluit charitas: fomes quippe igni pectoris miniſtratur, ubi cogitavit [illegible] bolus, quòd tantus amor tædio [illegible] ingratitudinis vinceretur. Amor [illegible]inus maximè

Villav.

Quo extinguitur, ardet amor.

Luc. 4. 3.

Ambr.

Ingratitudo ex amoris, eſt fomes excellentis.

ximè beneficus in humanum genus. Contendebant Dei dilectio, & hominum ingratitudo: unde victa charitate à vexillis ſceleris, Deus *Intrinſecùs* tangebatur *dolore cordis*. Victus fuit tædio, qui tunc timebatur Deus ultionum: aliud levavit veniente Chriſto vexillum. Amor inde lucet, unde apud homines evaneſcit: perperàm ingratitudinem propter tæderet hominum; cùm per ipſam cordis inoleſceret incendium.

Gen. 6. 6.

Gen. 2. 17.

3 *Morte morieris*, ſi comederis ex interdicto frutice dicitur Protoplaſto. Alij: *Mereberis mori*. Ei vivit? Utique, quia meretur mori, conceditur vivere. Non reprimitur Deitatis benefica virtus, quanvis beneficiorum indignum mortale pectus: ac delictum maximum ultrò hominum ingratiſſimo condonatur; quoniam per tranſgreſſionem mortem prævaricator meretur. Nec impetus renuentium pietatem frangit, nec amor quanvis deſpectus recedit.

Non arcetur ingratitudine beneficia virtus.

En fruſtrà Fortuna facem remoratur Amoris,
Nam ferus eſt, alis fallit & ille moras.
Atque retenti inſtar violentiùs æſtuat amnis.
Sic fit & à remoris plus furioſus amans.

Oth. Væn.

Cecinit Otho Vænius Embl. 113. *Amor.* Haud mireris epithetum *Furioſus*, ſi legiſti amantem amentem: ſiquidem quicquid conceditur diſcretioni rationis, ſubtrahitur ab incendio, atque voluptate voluntatis. Divinus etiam Amor, à Bernardo Serm. 83. in *Cant.* plauditur *Præceps*. Quippini? Non iraſcitur ictus, & diſsimulat contemptus. *Præceps*, & quia requirentem non repellit, & quia declinantem ambitioſè requirit. *Semper meditatur nova, & inſueta componit: impatiens namque cùm ſit, cogitare non deſinit quomodò ardentiùs diligat.* Ita Laurent. Iuſtinian. libell. de *Caſto connub. Verbi & Animæ*. Aſtipulatur Chryſoſtom. Homil. 1. in *Epiſt.* ad Philipp. *Adeo* (ait) *violentus eſt amor, atque, ut ita dicam, tyrannicus eſt, ut nulli cedat occaſioni.* Quo ſtudio occaſioni nulli cedat, & nova, atque inſueta componat, licèt paradoxum in fundamento videatur, ſubitò dicam. Supereminentiorem viam aggreditur dilectio: intentos vos volo.

Amor ab obice violentior.

Bern.

Præceps eſt, & impatiens.

Laurent. Iuſtin. Chryſoſt.

Et tyrannicus.

3 Deperibat fœminam quidam, & ut exprimeret ſingularem amorem, induit ſe larvam Dæmonis, cum hoc lemmate: *Nemo afflictior, nec proiectior, nec pertinacior.* Noſtro idiomate, prævt iacuit, profert Ioannes Orozzius lib. 1. *Embl.* cap. 16.

Mas penado,
Mas perdido,
Y menos arrepentido.

Ioann. Orozz.

Ne tinniant aures, ubi Dæmon proponitur, heroici ſignum amoris, & ſublimis charitatis; opera pretium erit commonere lecturos uſus Allegoriæ, qua aliud dicimus, & aliud ſignificamus, de quo late apud Rhetores tam Sacros, quàm Profanos. Etiam recolendus ſenſus Accommodatitius, quo liberiùs vagatur acumen cogitationis (licèt cum grano ſalis condienda ſententia, ne mens ineptè deſipiat) ut in malo aliquando rimetur figuram boni, & in bono inſignius ſymbolum mali. *Plerumque res qualibet* (aſtruit Gregor. Magn. lib. 3. *Moral.* cap. 16.) *per hiſtoriam virtus eſt, per ſignificationem culpa: ſicut aliquando res geſta in facto cauſa damnationis eſt, in ſcripto autem prophetia virtutis.* Aſſentiuntur Rupertus lib. 11. de *Div. offic.* cap. 1. Hieron. *Epiſt.* 131. ad Rufin. (etſi contrarium dixerat in *Iſai. comment.* cap. 45. & Oſee cap. 10.) Gloſſa in 2. *Reg.* 11. 24. Theodoretus *Dialog.* 3. Beda in qq. in 2. *Reg.* & Angelomus in 2. *Reg.* 11. qui quidem latè quæſtionem diſcutit, & ſententiam aſtruit. Unde inceſtum Lot, adulterium David ſignare deſponſationem Chriſti cum Eccleſia ex Gentibus, relictà Synagogà, arbitrantur; ſicut Lazarum ægrum, mortuum, & ſepultum deſignare peccatorem. Mors peſsima Saulis mortem Noſtri Servatoris expreſsit: dicit Greg. Magn. ubi ſupr. lib. 4. cap. 4. & etiam Auguſtin. lib. 22. *Contra Fauſtum.* Ambroſius *Apolog. David*, cap. 3. conferens humanam naturam Verbi Divini hypoſtaſis omninò alienam, & adiectionem Bethſabeë in Davidis ſponſam; *Myſterium* (exclamat) *in figura, peccatum in hiſtoria: culpa per hominem, ſacramentum per Verbum.* Quod molitur iniquitas, deaurat propter finem ſtudioſè charitas: igitur cùm entitas tantummodò conſideretur, quid illud entitatis, & non malitiam charitas imitatur. Quapropter cum analogia eadem officia tribuuntur virtutibus, & vitijs, uti facit Chryſologus *Serm.* 162. deſcribens ambitionem eiſdem coloribus, queis à Paulo pingitur charitas: & ut analogiam explicet, collationem hypomene ſpectabili concludit. *Charitas patiens eſt. &c.* 1. Cor. 13. Chryſologus verò: *Ambitio patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, ſed quærit quæ ſua ſunt.*

Malus interdum figura boni, & contrà.

Greg. Magn.

Myſterium in figura, quod peccatum in hiſtoria.

Ambr.

Ambitio lavà charitatis.

Chryſol.

5 Ipſamet opera, ac demonſtrationes quas machinatur Amor profanus, exercet Amor divinus: & iſtè iure laudatur, & ille meritò ploditur. Ideo Proverb. dicitur: *Verte impios, & non erunt*; ideſt, rationalem finem in operationibus habeant, & habebunt merita bona, unde ſibi metunt merita mala: ut ſiquis faceret, vel pateretur propter honeſtatem virtutis, quo peccatores laſſantur in via iniquitatis. Lubricus amor ut ait Seneca in *Hippolyt.* Act. 2. v. 609. gloriatur dicens:

Prov. 12. 17.

——— Omne ſervitium feram.
Non me per alta ire, ſi iubeas nives,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis.
Non ſi per ignes ire, & infeſta agmina
Cunctor paratis enſibus pectus dare.

Senec.

Amor nomen difficultatis ignorat.

Fas non erit, eiuſmodi officia aſsignare amori cœleſti; cùm in fidei demonſtrationem ultra progrediatur, & ubi non ultra? Sic enim cum proportione dicere poſſumus, in conditione Dæmonis eſſe ſingulare ſtemma vehementioris charitatis: quandoquidem quicquid ille meditatur, ut animæ pereant vafrà, atque inflexibili malitià; facit & ultrà, ut ſalventur charitatis cordis exæſtuans flamma. Proinde ſi illo nemo afflictior, proiectior, nec pertinacior; *Dolores* etiam *inferni circundant* charitatem, ubi tangit celſitudinem. Amat, ut amet: nec pœnis arcetur, nec neglectu reprimitur, nec faſtidio compeſcitur. Nunquam vel fruſtratis officijs revocat pedem, ſed in idem propoſitum perurget cogitationem.

Analogia conditionis dæmonis, & charitatis.

Pſal. 17. 6.

6 Optimè ſe mihi offert amoris obumbratio facta ab Sponſo. *Fortis eſt* (ait) *ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Ideſt, dilectio magna eſt ut mors, maxima verò comparatur inferno; etenim non ſecùs ac illius ignis animam urit pro animabus flamma excelſæ charitatis. Ita Gaſpar Sanctius, Sotomaior, Alapide & alij. Infernus ſumma dilectio! An quia infernus nunquàm dicit: *Sufficit*? Sanè. Dicat Tereſiæ charitas, *Aut pati, aut mori*: quanvis plurimæ afferantur Regi virgines poſt eam, nunquam dicit: *Sufficit*. Imitatur Sponſum. *Sitio*, dixit in cruce pendens. Sitit? Sitit & ſaturatus ærumnis? Sitit ex fervore amoris, ſiquidem plura charitati blandimina plura tormenta. Satut ſitit, quia nunquam dicit; *Sufficit*. Aut pati, aut mori: dum tormentis ſuperſtes vita, adulentur cruciamina. Alia, *Tautolog.* 4. *Didaſc.* 9. in honorem huius virginis, a num. 7. uſque ad 14.

Cant. 8. 6.

Prov. 30. 16.

Tereſiæ charitas ſimilis inferno.

Ioan. 19. 20.

Blandiuntur tumori tormenta.

7 Nec clàm eſt iam ſimilitudo charitatis eximiæ cum inferno. Plus bibendo ſitit, & nunquàm dicit, *Sufficit*: cor igitur habet huiuſmodi inſatietatem, dum longum bibit amorem. Quomodò poſſunt hæc fieri? Reſpondet Sermon. in *Pentecoſt.* Chryſoſtomus: *Copioſa Spiritus Sancti gratia, non naturam immutans, ſed voluntatem emendans.* Ideò de Chriſto dicitur: *Dolores inferni circundederunt me.* Ideſt, ut inquit Genebrardus hìc: *Dolores maximi & vehementiſsimi, quales ſolent eſſe in inferno:* quoniam cùm flagret igne vehementi voluntas, huiuſmodi infernum excogitavit charitas. Perpende: Ibi animus afflictus, & licèt afflictus, proiectus: proiectus, pertinax: & pertinax propoſiti, licèt afflictus. Videamus itaque, an faciat excellens charitas per dilectionem, emendans voluntatem, quòd emineat amoris demonſtratio, ſupra id, quod malitia retinet implacabili odio.

Chryſoſt.

Genebr.

Quiſnam inferuas charitatis?

8 *Dolores inferni circundederunt me*, dixerat Chriſtus per os Prophetæ David. Quo pacto dolores inferni Chriſtum circundant in acerba paſsione? Cave blaſphemias Lutheri in *Pſalm.* 16. 10. Philippi Melancthon in cap. 27. *Matth.* & Calvini *Inſtitution.* lib. 2. cap. 16. §. 11. & pluribus alijs in locis. Dicam ergo catholicè. In inferno animæ tormenta patiuntur, verùm illis tormenta nihil proſunt. In mundo quicquid patiens ſuſtinet, in vitam æternam cuſtodit: leve quidem tribulationis momentum æternum pondus operatur ad gloriam per matrem gratiam: in inferno damnati perdunt & operam. Unde verè Chriſtum circundederunt dolores inferni, dum decrevit pro reprobis etiam pati; quoniam inferni dolor & acerbior, & vividior, pro illorum ſalute pati inferni vehementiſsimum dolorem, & ſcire nullum horum profuturum ad ſalutem. Hoc barathrum, hunc infernum excogitavit charitas: igitur nulla intenſior acerbitas, quàm pro reprobis pati, & ſcire non prodeſſe.

Pſal. 17. 6.

Amaritudo inferni, pati, & ſcire non prodeſſe.

9 Nota: in horto Patri dixit: *Tranſeat calix iſte.* Quiſnam? *Hoc eſt populo Iudæorum*: ait Hieronym. hìc. Non calix paſsionis, ſed *Calix iſte*; quia intolerabile prorſùm, quòd labor caſſus, & inutilis fructus. *Calix iſte* ſanguinis mei tranſeat à populo Iudæorum, vel proficiat obſequium: igitur pœnarum pœna in huiuſmodi agonia, fruſtrari pretium, & ex venis ultrò præbere lythrum. Vel tranſeat vel proficiat, etenim dolor inferni, non prodeſſe, & ita pati. *Tranſeat.* Non tranſit, ſed totum exhaurit. Cur? Charitas in eius paſsione oſtenſura erat plenitudinem: & bibit etiam pro reprobis amaritudinum calicem; quoniam illius inſigne, propter operationem operari, propter amorem diligere, fructum expendere pretioſum, & perdere fructum.

Matth. 26. 39.

In hoc relucet magnitudo charitatis.

10 Senecam audi: *Ingrato ipſi beneficium dabo iterùm, & tanquàm bonus agricola, cura, cultuque ſterilitatem ſoli vincam. Non eſt magni, dare & perdere: hoc eſt* magni

Senec.

Perdere, & dare, ſummi amoris inſigne.

magni animi, perdere & dare. Hæc Stoicus lib. 7. de *Benef.* cap. 32. Calicem iſtum, quem tranſire deſiderat corporis imbecillitas, bibere iubet ſupereminens charitas: quia cùm gratiam iucundam gratus faciat, iucundiorem ingratus; non eſſet magni, dare ſanguinem, & illum perdere, ſed perdere pretium, & effundere ſanguinem.

Luc. 22. 20. Matth. 26. 28.

Calix hic eſt (ait) ſanguinis, qui *Pro vobis effundetur*: apud Matthæum, qui *Pro multis.* Pro *Vobis*, quibus proderit, pro *Multis*, quibus inanis: his deſtinatis ad pœnam, vobis prædeſtinatis ad gloriam. Demonſtranda eſt in articulo paſsionis excellentia charitatis, & minimè ſtat in eo quòd ſanguis effundatur pro vobis, ſed pro multis: ſiquidem clareſcit plus dum gratìs confert libertatis pretium, & ſcit perdere fructum.

Ioan. 3. 16.

11 *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Mundum, ideſt, Hominem. Emphaticè exprimit Ioannes vehementiam amoris, igitur non ſuppetit lingua ad tantæ demonſtrationem charitatis. Dedit igitur Deus Filium ſuum in mortem, & mortem crucis: quid enim illud *Sic* promit ſingularitatis? Diximus *Tom.* 1. *Tautolog.* 3. *Did.* 2. num. 4. & *Did.* 4. n. 4. & 5. Sed non exhauſimus theſaurum huius mirificæ dilectionis. *Sic* illud oſtendit

Rom. 8. 32.

Paulus. *Proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Alij grati memores erunt huiuſmodi inæſtimabilis gratiæ; alijs, cervicoſis maximè, nec memoria inerit tanti inexcogitabilis beneficij: & dicit Paulus *Pro omnibus*, dum Chriſtus Dom.

Et pro ingratis pati.

devovetur cruciatibus; ſiquidem marceſceret florida pulchritudo dilectionis, ni ſanguis effunderetur etiam pro ingratis. *Sic dilexit*, cùm Deus Pater pro hominibus in mortem filium ſuum miſit. Ingratitudine charitas claruit: igitur moles tantæ tantorum ac talium ingratitudinis, haud obturare potuit fontem generoſitatis.

12 Conſultò appoſuit Paulus *Pro omnibus*, quia mortuus eſt etiam pro reprobis. Haud validiore vulnere affici quibat ab heterodoxis divinæ charitatis excellentia, quàm negationis exhibitionis iniuriâ. Hæc eſt machina ingenioſæ improbitatis, ut liberetur à vinculis gratitudinis; & minimè cogitat, obligatiorem eſſe, de quo ſatagit effugere. *Pro omnibus.* Ecce dilectionis *Sic.*

Summum charitatis, expendere pretium, & non recipere fructum.

Pro prædeſtinatis pati, erat charitatis delicium, propter fructum redamationis propoſitum. Pro omnibus crucem ſubire, exprimere incendium amoris, quod foverat in altari ſacrati pectoris. Sanguinem ultrò fundebat, qui licèt pretioſus, reprobis nequàm proderat: inutilis profectò labor; ſed labor exhibetur etiam inutilis. Benefacere congruit ingratis, exhibito vinctis pro libertate pretio, quantunvis abutantur beneficio, labore fruſtrato: & ſic Deus mundum dilexit, quando filium ſuum unigenitum miſit; ut illum pro hominibus, & omnibus in mortem traderet: quandoquidem in charitate rutilat ſummum, quòd pretium evaneſcat, & dare pretium. Hiſpan. *En la charidad la mas inſigne diviſa, dar la ſangre de las venas por todos, aunque ſe pierda.*

Sciens ingratitudinem, oſtendit amorem.

In hominibus ſpes, quæ iuxta Pindarum, *Amoris eſt nutrix optima*, delicioſè alit, quæ voluntas pro libito concipit: igitur illicò reſipiſcerent, ſi ex demonſtrationibus oppoſita cogitarent. Ad ſummum cumulant beneficia, ut averſantium vincant protervitatem obſequia, verùm ignorant ſpe crepera exitum, quùm exhibetur ſtudium. Non ſic Chriſtus amavit: *Sciens dilexit*: cognovit verè fructum ſanguinis caſſum, & nihilominùs pro nobis omnibus tradidit ſemetipſum.

Ioan. 13. 1.

13 In aqua, quæ dicta contradictionis, divinæ emicat ſtudium generoſitatis. Murmuravit populus duræ cervicis ob inopiam aquæ. Moyſes & Aaron in tabernaculo clamaverunt ad Dominum, ut conferret vel rebellibus auxilium. Tollere iubet Dominus taumaturgam virgam, & loqui ad petram, ex qua egreſſæ ſunt aquæ largiſsimæ, queis ſatiati fuerunt ſiticuloſi. Lapis ergo liquefactus percuſione virgæ, obſequitur incredulis ad inſtar fontis; ſed corda illorum perſiſtebant omninò duriora ſaxis. Illicò ut elicuit aquam virga miraculoſa, auditur Domini in fratres inexcogitata ſententia.

Num. 20. 12.

Non introducetis (ait) *hos populos in terram, quam dabo eis.* Quænam ergo culpa fratrum, ut eis in terram promiſsionis Deus deneget

Ibid.

regimen, & ingreſſum? *Quia non credidiſtis*: reſpondetur. Crediderunt proculdubiò: quo pacto quia non crediderunt, fit horum animadverſio? Crediderunt, & non crediderunt. Crediderunt, Deum poſſe miracula facere; ſed illis rebellibus nolle. Haud dubitarunt de virtute potentiæ, ſed de Dei voluntate propter demerita inconcuſſæ malitiæ, quibus indigni divinæ clementiæ: & meritò afficiuntur Moyſes & Aäron incredulitatis pœnâ, dum ampliore propter illos Dominus fraudatur gloria: igitur ſtemma ſingulare divinæ nobilis generoſitatis, & conferre beneficium etiam indignis.

Stemma divini amoris, beneficia conferre etiam indignis.

Verſ. 10

14 *Num* (ait Moyſes) *de petra hac vobis aquam poterimus eijcere?* Non de aquæ miraculo è ſilice dubitat, ſed quòd illis fieret tan-

Et laborare fruſtrà.

tantum miraculum. Ideo dicit, *Vobis.* Vobis non: cur non illis? Quia rebelles. In hoc offendunt largitoris amorem, dum cogitant demeritis poſſe arceri largitatem; maximè cùm contendat charitas, vel deſpecta gratìs, ipſis ingratis prævalere beneficijs. *Num vobis?* Non: fallitur, ipſis, & propter ipſa: etenim amoris divini ſingularis gloria, & cogitare mira, & fruſtrari miracula: ſcire, omnia ludi, & omnia facere: laborare fruſtrà, & in fruſtrà laborare.

Verſ. 12

15 Subdit textus. *Non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filijs Iſraël.* Sanctificaretis, ideſt glorificaretis. Quomodò & qualis gloria ex huiuſmodi prodigio in maieſtatem, ut querulus Dominus ablatam notet glorificationem? Suppetit ratio. Facere mira pro dignis, deſignaretur quaſi opus iuſtitiæ: pro rebellibus autem, opus clementiæ: & queritur iurè de ſurrepta gloria, cùm iudicatur, pro indignis facere nolle miracula; igitur cum ingratis confert gratiam, ampliorem in homines oſtendit miſericordiam.

Pſ. 105. 33.

16 Culpa Moyſis pateat. *Diſtinxit in labijs ſuis*: dixit David. Hoc eſt, amphibologicè eſt locutus. Quid igitur locuta ſunt labia, ut in obiurgatione notetur amphibologia? Deum pronunciavit poſſe, at *tam incredulis* credidit *impoſſibile*; ait Alapide

Alapid.

hìc. Poſsibile miraculum arbitratus eſt iuſtis, non incredulis; & non glorificavit Dominum, cùm inconſultò protulit huiuſmodi cogitatum: ſiquidem magnus Divinitatis honos, pluere beneficia ſuper bonos & malos. Iuxta proprium ſenſum menſus eſt Domini munificentiam, quæ uti talis nonnunquàm eſt progreſſa ultra menſuram: quandoquidem vel incredulis conceditur, quod à miniſtro impoſsibile prorsùm iudicabatur. Patet magnum, dum incredulis inſperatum elargitur beneficium: etenim iuxta divinan non eſſet generoſitatem, ni præſtaretur ultra recipientium fidem. Diſtinxit, parcè, uti homo, generoſitatis ſummitatem, inter benemeritum & indignum, ut Deus aperiret in dilectionis ſignum, beneficientiæ theſaurum; ſed deliquit. Gloria munifici eſt conferre, non diſtinguere, an dignus, vel indignus accipiat: & Moyſes eiuſmodi gloriam elargitori beneficiorum negat; quoniam nimis offendit liberalitatem elargientis, etiam diſtinguere labijs. Non reſtringitur charitas machinationibus; quibus obeſt impietas. Ingratitudo ſpecioſitatem beneficij minimè devenuſtat, imò ingentem decorem opprimendo deaurat. Unde fert ægrè Deus à miniſtris non glorificari, dum decernit, beneficia etiam ingratis conferre; quoniam inquolibet beneficentia amplius magnificatur, ubi ingratis rebellibus plura conſultè largitur.

Conceditur ab amore, & quod iudicatur impoſſibile.

Beneficium extollit ingratitudo.

Verſ. 13

17 Arridet textus. *Hæc eſt aqua contradictionis, ubi iurgati ſunt filij Iſraël contra Dominum: & ſanctificatus* (ideſt, glorificatus) *eſt in eis.* Si miniſtri dubitantes non glorificaverunt, quomodò rebelles, iurgantes etiam Dominum glorificarunt? Hæc eſt diſtorſio ingratorum: ſcilicèt, quòd benefactorem glorificent, velint, nolint: ſi velint, victi beneficio; ſi nolint, obſequio: atque Deus glorificatur beneficus nimis, adhuc in aqua contradictionis; quippe illius proprium, pro ingratis miracula facere, & ſcire vel miracula contemni. Deinde: Illi rebelles requirebant miraculum, neutiquàm benefactorem: Deus autem ipſos vel ingratos, ſatagens illorum confringere ingratitudinem: & ubi non valuit vel miracula patrando, glorificatus eſt in beneficio neglecto: ſiquidem benefactoris commendatio, ſcire miracula non prodeſſe, & nihilominùs miracula facere.

Gloria amoris, miracula facere & ſcire, vel miracula temni.

18 Denique. *Iurgati ſunt contra Dominum.* Tunc quid? Impertit beneficium? Præſtat tamen. Cum ſpe retributionis in pignore gratitudinis, ſublevare miſeriam; aſtruebat largitoris gloriam, ſed non maximam: quæ quidem rutilat, ex eo quòd ignis beneficij ingratum foveat, licèt cor igne magis refrigeſcat & contradicat. Proinde in aqua contradictionis glorificata eſt quamplurimùm divinæ dilectio maieſtatis; quia accepit iniuriam, & nihilominùs elargitus eſt gratiam. Hæc cauſa dubitationis Moyſis, etſi noverat ingenium benefacientis. Credebat promittentem; ſed non ita benefactorem, ut audiret voces exprobrantium, & conferret beneficium. Dicere poterat, quod ille alius: *Credo, Domine: adiuva incredulitatem meam.* Credidit, & non credidit. Credidit poſsibilem gratiam, & non cogitavit de impoſsibili credito maiorem gloriam, igitur amplior proculdubiò perſtitit, ubi ingratis largè dona munificus contulit. Quot erogavit Chriſtus philanthropus in noviſsima cœna? Perquàm maxima & pretioſa: at amoris tanti ingenium antecelluit etiam ipſum beneficium; quia non pluris, quòd tot miracula & inuſitata operaretur, ſed quòd operaretur, *In qua nocte tradebatur.*

Etiam amor exprobratus, beneficus.

Marc. 9. 23.

Occaſio probat amorem.

1. Cor. 11. 23.

19 Perpende inſtantiam. Oravit ad Patrem, atque inter dilectiores diſcipulos requirens conſolatorem; vel vigilantiores invenit dormientes. Vigilat Iudas, ſed ampliùs magiſtri charitas. Occurrit proditor,

& etiam amor; nè plùs valeret diſcipuli odium, quàm magiſtri diligentis obſequium.

Ioan. 18. 4.

Ieſus ita (infit Evangeliſta) *ſciens omnia, quæ ventura erant ſuperſe, proceſsit.* Et ſciens? Proceſsit: ſciebat, quaſi neſciret.

Victoria amoris in ſcientiæ ignorantia.

O ſingularis dilectionis flammam! Dedit utique cor, *Ut ſciret ſtultitiam.* Cruc m paratam cognovit, & proceſsit. Nihil timet: non cogitat exitum, & periculum; ſed propoſitum.

Eccl. 1. 17.

Signum quilibet greſſus vehementiſſimi incendij, imò proiectioris animi: etenim cognoſcit ingratitudinem, & à propoſito non revocat pedem: ſed ruit præceps in tot pericula, & ſciens omnia.

Conſtantia in amore Chriſti quanta!

Vulnera impendunt: *Proceſsit.* Cupit ire in ipſos obvius enſes, ut proiectio demonſtretur amoris: quippe ni proiectus proceſsiſſet, ſciens ventura, in vulnera non procederet. Proceſſit. Amor vel reſipiſcentià non reſipiſcit. Ampliùs ſtimulatur, ubi negligitur: etenim per deſpectus improbæ voluntatis, proprij cordis intimiùs caleſcit ignis. *Proceſsit.* Et perditurus fructum? *Proceſsit.*

Quaſi proiectio,

Summum incendium! Laborat itaque, ut corda convertat, & in vanum ſine ignorantia laborat. Quid? Procedit, & amanter, ubi non ultrà, prævidens tantæ officiorum demonſtrationi contraria: ſiquidem ſummæ charitatis rutilat ſignum, laborare ſciendo, ipſo labore laborare in vanum.

1 Mach. 10. 15.

20 Phraſis pervagata in Scriptura *Laborare labores.* Quid ſit, diximus in *Prolog. Galeat.* §. 4. num. 9. Ultra literam exponendum arcanum Epizeuxis verborum, ut ingenioſum nanciſcamur argumentum. In amore eſt labor, ut fidei demonſtrationibus acquirat corda; & eſt labor laboris, laborare in fruſtrà, dùm durities improbi, cervicoſique cordis aciem obtundit ſpiculi charitatis. Præliatur amor, & artè contendit: eius ictus ingratitudo validè frangit: & minimè dicuntur prælij labores, quibus obtinuerunt victoriam charitatis conatus; ſed laboraſſe labores, quibus inutilis fructus.

Maior ubi labor ſine fructu.

Laborare, officium eſt amoris, ſiquidem in nulla ſede moratur: laborare labores, opus excellentis charitatis, quæ laborat ſuſtinens: & ingratis hominibus, exhibitis tot miris demonſtrationibus, non habuit Chriſtus quo magis oſtenderet proiectiſſimam pectoris charitatem, quàm procedendo in fruſtrà, laborare laborem.

21 Probatio charitatis patet in exhibitione operis, *Eamus* (dixit generis humani Vindex) *in Iudæam iterùm.* Faciem firmavit, ut iret in Ieruſalem.

Ioan. 11. 7.

Dixerunt ei diſcipuli: *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterùm vadis illuc?*

Verſ. 8.

Vadit igitur iterùm, quia lapidandum quærebant. Quæ videtur proiectio, eſt amoris magnitudo, atque charitatis teſſera: & ſeſe confert iterùm in pericula, quia ſummum amorem non probaret, ni iterùm in cognita periculo proceſsiſſet. Iterùm vadit, & illuc vadit: excellentem charitatem cunctis oſtendit: ſiquidem haud proceſsit recipiendus, ſed lapidandus. Adinſtar palmæ contra pondus curveſcit: & accedit, ubi pondus, quippe ſi ibi neglectus, *Iterùm illuc*; ut obſequium niteſceret charitatis, ex oſtentatione proiectionis: quæ quidem periculum init in amoris monimentum, *Iterùm illuc*, ubi fuerat expertus vitæ periculum. *Iterum illuc.* Quæ videtur proiectio, eſt vulneris oſtentatio, indicans paratum cor iterùm ſubire crucis tormentum, ſi neceſſe fuiſſet iterùm.

Inſtat Amor etiam repulſus.

22 Hæc proiectio non eſt velamen rationis, ſed *Ingenium* (quod plaudit Doctor Gentium) *Charitatis.* Non velamen rationis, licèt amor ignoret iudicium: ſed ingenium charitatis, ut conſequatur propoſitum.

2. Cor. 8. 8.

Tranſeat à me calix iſte, dixit Aſſertor N. in horto: in ligno autem crucis, *Sitio*: hoc eſt, acriora, intenſiora, vehementiora cruciamina, vel millies ipſa.

Matth. 26. Ioann. 19. 28.

Si in cruce ſitit, qua lege in amore reſpuit. Ob ingenium charitatis. Conſultò videas. Chriſtus ab ipſis Iudæis patiebatur, & patiebatur pro ipſis. Pro ipſis pati, dulce: ab ipſis verò, grave. Per paſsionem, omnium ſalutem, etiam carnificum merebatur; & illi malè merebantur per paſsionem.

Haud conatur meritum demeritis dilectorum.

Unde idipſum arte reſpuit, quod ſitienter concupiſcit; quippequàm ſtudiosè pro dilectis conabatur, nè per delicta dilectorum mereretur.

Dicit etiam vox, *Calix iſte.* Ideſt, paſſio per iſtos. Calix iſte paſsionis haud bibi poteſt pro iſtis, ni ſanguis perfundatur ab iſtis. Iſte calix tranſeat, ut pectus magis ac magis charitatem oſtendat: igitur cùm iſti indigni fiant actione, qua amor meus elevatur, me patiente; pro ipſis, & non ab ipſis ſitio tormenta longiora crucis: etenim potiùs opto, privari voluptate paſsionis per dilectos; quàm oſtendere ipſa demonſtratione magis indignos.

Pro indignis patitur, & ſolicitat, ne videantur indigni.

2 Deinde. Pater voluit mortem filij, quia non aliter voluit mundum ſalvari, ut dicunt PP. & Expoſitores. Ex Scholaſticis conſule N. Larditum Tom. 1. in *D. Anſelmum* lib. 1. cap. 8. & 9. ipſam verò mortem mundi reconciliatricem, inferendam per populum & dilectum & rebellem.

Lardit.

Unde dum paſsionis calix proponitur, quem ardentiſsimè ſitit; minimè renuitur paſsio, ſed iſte calix: etenim

Pati ſitit pro ipſis ſed non ab ipſis.

cùm

cùm ipſi pro quibus patiebatur, malè mererentur demonſtrationem amoris, quæ ſtudiosè & ingeniosè fiebat pro ipſis (igitur Chriſtus horum merebatur ſalutem, ubi illi iuſtiſsimam damnationem) orat, ut pro ipſis ſit ſacrificium, & non ab ipſis inferatur tormentum: quoniam etſi pro ipſis dulce pati, (qui etiam ingrati dilecti) ægrè ferebat, vel conformis, propter dilectionem ab illis pati. Proin defraudari vult in tormentis quæ ſitit; à tantæ charitatis demonſtratione; ne dilecti graventur nigerrima ingratitudine.

23 Panditur ergo via ad expoſitionem plauſibilis teſtimonij. De Chriſto Servatore intelligunt plures PP. illud Zachariæ: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?*

Zach. 13.

D. Thom. in Pſalm. 21. 17. Petr. Damian. *Opuſc.* 3. Galatinus lib. 8. cap. 17. Salmer. *Tom.* 10. *Tract.* 7. Haye, Alap. & Sanctius hìc. Interrogationi ergo ſaucius reſpondet: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.*

Ibid.

Plagatus agnoſcit percutientium dilectionem, etiam qui vapulat: ideo aliqui ſententiam accipiunt de Pſeudopropheta. Æquum claret iudicium, ubi vel correptus agnoſcit, quòd caſtigantes nequaquàm caſtigarunt, ſed caſtigatione dilexerunt. Charitas ergo iudicis prævalet, ubi poſt ſententiam latam, ipſemet reus iuſtam cognoſcit ſententiam.

Iuſtitia commendatur, qua vel correctus diligitur.

Reſipiſcit facile homo, ubi concluditur ratio, & addictus pœnæ percipit, iudicem per legem non conari deturpare hominem, ſed in homine hominis iniquitatem. *Quaſi res duæ ſunt homo & peccator* (inquit Auguſtinus *Tract.* 12. in Ioann.) *quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipſe homo fecit.*

Auguſt.

Erudimini, qui iudicatis terram, ne prava voluntate, & curva lege (ſiquidem iuſtitiæ iudicantur, & Iudex eſt iudicum) foveatis in homine iniquitatem, & oderitis hominem.

24 Plagatus eſt Chriſtus ubi amici, non ubi inimici iudicabant, ac in domo profectò qui diligebant. Si eſſent inimici, ſuſtinuiſſet utique: & quòd eſſent amici, dolorem acuit; igitur peſsima plaga, tot beneficia amoris, ab intimis & dilectis referri iniurijs.

Ictus ab amico gravis.

Nota: Non queritur de plagis, ſed quòd illatæ ab amicis. Gravis plaga, ubi non eſt in ſauciato patientia: etenim altum vulnus, & etiam vulneris exulceratio, vel leviſsimus ictus ab amico. *In medio manuum*, dicitur. Ibi ab amicis impacta vulnera, ubi beneficus valdè collocaverat dona.

Maximè ſi beneficientia perſolvatur iniuria.

Omnia dedit ei Pater in manus, quas affixerunt ligno amicus & inimicus.

Ioan. 13. 3.

25 *Quid ſunt plagæ iſtæ?* Quid? Plagæ. Quò, *Ad quid* dicant, aut *Cur?* Aptè, aptè nunciant *Quid*, ubi plagatus præ amoris incendio dixit: *Quæ?*

Luc. 24. 19.

Tanta vulnera, quæ homo cognoſcit, vel non cognoſcit, ſecum attulit crux: verùm propter hominem in charitate tot vulnera, *Quid? Quid plagæ?* Appoſitè *Quid*, etiam videntibus plagas, ut latè rutilet dilectiones ſublimitas: ſiquidem quæ intulerunt in cordis ſigna amarulenti & pervicacis, inſignia ſigna ſervat reconciliationis. Fulgent utique animarum pretia, quæ fuerunt corporis vulnera; ut dulciùs & efficaciùs trahantur homines in vinculis charitatis: corda ſiquequam ſtupent, eò quod corpus diligentis vulneratur, quin animus vulneribus ab amico vulneretur.

Magnanimitas charitatis. Graviùs vulnus mentis, quam corporis.

26 *His plagatus ſum* (reſpondet) *in domo eorum, qui diligebant me.* Quid Domine? Proieciſti rationem? In domo qui diligebant, vel qui oderant? Qui oderant planè, & gratis, cum Salvatori ſuo præpararent lignum crucis: & dicit, *Qui diligebant*, dum morti ab illis devotum impudenter exprobrabant; ut ex indulgentia iniuriarum erga homicidas, ſuam proiectionem exprimeret repulſa charitas. Patet næ proiectio in dilectionis ſtudio: quippe ni proiecta in propoſitum rueret, minimè cogitaret pro demonſtratione amoris, perſpicuam exhibitionem implacabilis odij, genitricis voluntatis.

Amor nimius etiam odium arbitratur obſequium.

27 Ergo propoſito. *Qui diligebant*, ait. Odientes diligunt? Diligentes oderunt? Neutrum utique. Ars amoris eſt. Si dixiſſet, Oderant, oſtendebat offenſam: prænunciat in *Diligebant*, offendentium ignorantiam. Ideo dixit in cruce: *Non enim ſciunt quid faciunt.*

Luc. 23. 34.

Offenſa ex ignorantia eſt excuſabilis: malitià verò commovetur bilis; & attribuit ſtudiosè naturæ facilitati, quicquid indole peſſima cognoſcentes errant corde. Ut coram iudice & vindice attenuaret iniuriam, de odientibus dicit meditanter, *Diligebant*: unde qui nequibat actionis improbitatem, ſaltem operantiam excuſavit intentionem.

Adſcribit ignorantiæ operationes malitiæ.

Hoc eſt excuſare *Excuſationes in peccatis*, vel non excuſare peccata, ſed excuſationes: nimirùm, adſcribere ignorantiæ operationes malitiæ.

Pſ. 140. 4.

28 Denique. Haud pati poterat ſine odio illorum, pro quibus decreverat pati; & non aſtruit vulnera illata in domo, qui oderant, ſed *Qui diligebant.* Primo, notà inurebantur ingratitudinis: poſtremo, inoleſcebat momentum demonſtrationis amoris; quoniam non exprimebat vitam dari pro inimicis, quod micat ſummum in officio charitatis. Quò plùs huius ſplendor exprimitur, ac extollitur, eò magis dignato-

Ne exprimatur indoles improbitatis, detrabit de ſplendore propriæ virtutis.

rum

rum indignorum protervitas clareſcit, & condemnatur: dicitque amorem, quod odium, & obſequium, inimicorum officium; quippequàm mavult ſibi detrahi de ſplendore virtutis, quàm dignatorum ſpecimina oſtendere maioris improbitatis.

Quid in amore maximum?

29 Difficilè reſipiſcit, qui odium, quaſi amorem agnoſcit. Proiecta in dilectos manet charitas, & etiam pertinax; igitur neque illos ingratitudinis piget, neque plagatum tot vulnerum pœnitet. Amare, & non amari, exercitium eſt patientiæ. Amare, & odio haberi, ſumma demonſtratio fidei. Odio haberi ſummo, & ſuper ſummum odium prævalere diligentis obſequioſum ſtudium; amoris profectò maximum. Patet: Habet ingratos in pectore, etiam poſtquàm expiravit in cruce. Aquæ ſunt populi, & *Exivit ſanguis, & aqua* è lateris vulnere. Haud exirent, ni ipſi oſtium aperirent, & impetè ſeſe expellerent. Odientes fugere intendebant amantem: & Ieſus, ut validiorem odio oſtentaret amorem, vel fugientes à latere cuſtodiebat in corde.

Ioan. 19. 34. *Vel fugientes ſequitur.*

Ioan. 15. 13.

30 Etiam eſt in alio ſtudio dilectionis ſummæ ſummitas. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam* (ipſe dixit) *ponat quis pro amicis ſuis.* Maior adhuc præſtat fides eximia ſui conflagrantis pectoris, ubi animam ſuam ponit etiam pro inimicis. In concilio illo Thaboris (ubi prudentiſsimi Synedri) argumentum erat mors Salvatoris. *Viſi in maieſtate dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* Aliqui Interpretum exceſſum dicunt amoris, mortem crucis: ſed pulſat animum, cur mortem plaudunt amoris exceſſum? Non ſufficiebat dicere amorem, quin inſignirent amorem ſuperexcedentem? Summus plauditur, qui vitam proterit: & non eſt ultrà, ſi pervenit ad ſumma. Ubi non eſt maior, erit exceſſus? Maior charitas eſt pro charis perdere vitam: ac dicitur exceſſus dilectionis mors ipſa crucis; quia excedit maiorem dilectionem charitatis, vitam dare pro inimicis. Summum fidei in dilectos apparet, ſubire mortem; & dum pro ingratis Chriſtus patitur crucem, plaudunt amoris exceſſum ipſam demonſtrationem; ſiquidem haud videretur diligentis ſummè obſequium, ni aliquid ſtudioſè adderetur ultra ſummum.

Quæ charitas maior maiore?

Luc. 9. 31.

Dare vitam pro inimicis eſt exceſſus charitatis.

Deut. 4 32.

31 *A ſummo uſque ad ſummum eſt* phraſis in Scriptura, quaſi vehementis amoris loquela. Cogitat cor flagrans inſueta, & perficit mirabilia. Non excluduntur ab huiuſmodi ſorte vel indigni. Cogitat nova in dilectos, & mirifica in ingratos. Unde dum Chriſtus patitur, eius paſsionem Elias & Moyſes iurè demonſtrant amoris exceſſum, pertingentis à ſummo obſequio uſque ad ſummum: etenim à ſummo, quod eſt, ponere animam pro amicis: pervenit uſque ad ſummum, quod eſt, dare pro adverſarijs. Hic *Rota* eſt *in medio rotæ*: igitur operatur pro inimicis, ipſam demonſtrationem, quæ pro dilectis. Non ultra in circulo rotæ eſt: & in medio rotæ eſt alia rota; quia poſt extremum plus ultra. Pro ingratis etiam profunditur ſanguis pretioſior, ut demonſtratio fieret ingratitudine clarior, & charitas quia pro illis afflictior, proiectior, & pertinatior, rutilaret ſublimior. Audacter retorquebo Ethnicum, in *Eunuch.* Act. 1. Scen. 1. v. 12. & 24.

Stemma amoris ſummi extra, & ultra ſummũ progredi.

Ezech. 1. 16.

Terent.

—— *Te ultrò* (Synagoga) *accuſabit, & dabis ei*
Ultrò ſupplicium. O indignum facinus! Nunc ego
Et illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio.
Et tædet, & amore ardeo: & prudens, & ſciens
Vivus, videnſque pereo; nec quid agam, ſcio.
Quæ res in ſe neque conſilium, neque modum
Habet ullum, eam conſilio regere non potes.
In amore hæc omnia inſunt. Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere; nihilo plus agas.
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.

DIDASCALIA II.

Nulla ſervitus turpior, quàm voluntaria.

Seneca.

1 IUrè dixit Seneca *Epiſt.* 47. Peſsimum, quòd laxet ratio habenas dominationis creditæ; maximè circumſpiciens mala, quæ ſuſtinet ſervitute. *Alius* (infit idem ibid.) *libidini ſervit, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori.* Catena voluntaria, non iudicatur catena, quaſi accepta pro lubito non eſſent vincula: ſed miſerrimè falluntur: etenim ſi iniecta à tyranno vel à iudice ſunt dona infelicis ſortis, amplecti ſpontè, quæ ſunt ſortis infelicis, erit amentis. Lamentabile, ſervum naſci, ſervum inimici eſſe: quid ergo voluiſſe? Moleſta patet neceſsitas, & eſt iucunda voluntas? Semper enim eſt ſervitus: cæterùm turpior, quia avidè à liberis, ſine delectu amittitur, quod à ſervis vi oppreſsis deſideratur. Non ultra progredi videbatur calamitas, atque in affectibus rationi dominantibus, amplior innoteſcit infelicitas. Ser-

Vincula eſtò voluntaria ſunt vincula.

Rationes ſervitus ignominioſa.

Servire debent, quia mancipia nati. Regunt ſopita ratione: & maximè dolet (tanquàm indignæ intellectus proiectionis) rationem ſervire voluntariè, velint nolint, ſervituris. *Tactus dolore cordis* exprimitur, cuius deliciæ, eſſe cum filijs hominum. Quid mirum? *Omnis quippe caro* (ideſt, homo, ut vidimus in *Expoſit. Lit.* num. 28. Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto, ut homo inſignitus per rationem, deſignaretur per carnem!) *corruperat viam ſuam.* Via carnis eſt ſubiectio dominatrici ratione: corrupta fuit, ubi viſa ratio in humili affectionum ſervitute. Hac homines exultabant; illa, libertate cùm ſubiectione gaudebant. Permutabant cum iniuria rationis in corruptela carnis, nomina libertatis & ſervitutis: ſervitus fiebat plauſus: & Deus tangitur dolore cordis intrinſecùs, eò quod turpiorem voluntariam ſervitutem plauderent ut libertatem. *Nemo regere poteſt, niſi qui & regi*: dixit Stoicus lib. 2. de *Ira* cap. 15. Perperàm regere ſeſe quibant, qui ita regi à regendis malitioſè bolebant. Dixit floridè Claudian. in IV. *Honorij Conſul. Paneg.* verſ. 259.

Gen. 6. 6.

Ver. 11

Dolor cordis quod homines exultent malis.

Seneca.

Claudian.

Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris irà.
Servitij patiere iugum: tolerabis iniquas
Interiùs leges. Tunc omnia iura tenebris,
Si poteris rex eſſe tui.

Apoc. 5 10.

2 Clarebit. Canticum novum auditur dicentium: *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Hoc eſt, *Super corpora noſtra.* Videſis Haye, River. Alap. & Alcazar hic. Perpende modò *Regnum, & regnabimus.* Regnum regitur à regentibus, regnantque ſanè qui regunt. Unde ut innoteſcat quid ſit propriè regnare, omni excluſa in regimine vel indulta ſervitute; ſimul in unum meditanter conveniunt reges & regnum, quia ſolummodò reges, quando reguntur. *Nos regnum & regnabimus.* Ecca exercitium & præmium. Nos utique reges, & regnum, ſi regnamus ſuper nos. Regnum nos ſumus, & etiam regnamus, quoniam regere poteſt tantùm, qui & regi: & noſipſi potentiſsimi reges, ſi reges noſtri. *Regnum & regnabimus.* Regnum corpus eſt, ubi cives regendi affectus, affectiones, & factiones: reges, leges, quibus moderatur ratio, ſi deviaverint à recto: & ubi ſubditur regnum, in decorem regis & penes eum exponitur gubernaculum; quippe multoties reges contra leges & preſcripta rationis ſubduntur ſubditis. Rebellium ſubditorum fit rationi traditio: regeſque dicuntur regere, & regnare, ſi ratio regnat in regno; quoniam abſonum, quòd regina ratio ſervis prona, ſit ſubditis curva, provectè ſerva, cùm nulla turpior ſit, quàm ſervitus voluntaria. Verùm de hoc latè Tom. 5. *Tautolog.* 1. ad illud 3. Reg. 4. 1. *Erat autem rex Salomon regnans.*

Non magnus qui princeps aliorum, ſed qui ſui.

Ibid.

3 Ne truncam expoſitionem relinquamus, occurrit etiam, quod qui in regno reges, deſignantur quoque *Sacerdotes.* Tanto ergò ad ſerviendum promptior, quiſquis debet eſſe ex munere, quantò ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione. Ubi ſummitas exponitur ſuperioris regiminis in regno carnis, pro ſpecimine proferuntur ſacerdotes: etenim ita debent eſſe irreprehenſibilis immacolatæ vitæ, quaſi non eſſent ex carne: imò quaſi eſſent extra corpora, adhuc gementes habitatione terrena, habentes ſecum inimicos propter coronam certaminis; ſed ſecum ſubter in ſplendorem virtutis.

Sacerdotes ita vivere debent, quaſi non eſſent ex carne.

Pſ. 135. 6. Hebr.

4 Ex duplici elemento globum unicum conſtituit Deitas, quem ut magis miraremur, *Fundavit terram ſuper aquas.* Ita Hebr. de quo Nos haud brevi egimus *Tom.* 1. *Tautolog.* 1. in *Expoſit. Liter.* num. 15. Vulgata aptiùs propoſito: *Firmavit* pro *fundavit terram ſuper aquas.* Opus prorſùm inſigne, ubi firmum in infirma fragilitate; ſed commendabile magis, dum opus ita mirabile claret in præſtantia candoris, & petulancia carnis: etenim firmitas virtutis utrinde mirifica, quando nititur in fluxa appetituum inconſtantia. Super aquas & aquarum æſtus & fluctus, pondus intemeratæ puritatis firmatur: & virtus in infirmitate ita perficitur; quòd ſtet quaſi non ſtaret: ut ſtet ſupèr radijs mirè fulgentibus, ubi pretioſa ſummerguntur fluctibus: ut ſtet, & quaſi ſtabile fulcrum perſtet & præſtet, ubi nihil ni fluxum ſtare poteſt. Ad rem ergo.

Mirificum opus puritatis, & candoris, in inconſtantia firma fragilitatis.

In aquis ſignatur lubricitas carnis, motus, crebrique fluctus; quorum alij tranſeuntes, ſed verberant: alij autem & intrant uſque ad animam, in qua ratio eminet, quia conſtituta ſuper. Vid. Greg. Magn. Homil. 24. in *Evang.* Ex his elementis diſcordantibus coaleſcit homo ſpiritalis, eruditus in ſchola virtutis; ubi magis cognoſcitur homo, quia conſiſtit in lubrico. Proponitur in illo ſtructura undique ſpectabilis & mirifica, ſicut in Macrocoſmo globus ex terra & aqua: & ubi nihil aliud, niſi voluptatum libricitas, ratio firmatur ſicut terra ſuper aquas; quippe ut homo vivat ſpiritaliter, terra quæ rationalis ſemper ſit ſupèr.

Virginitas ſtat in lubrico.

Sit ratio ſemper ſuperior.

5 Altiùs exponam. Aqua fluctibus cupiditatis ſubeſt, quæ ſupèr motibus conatur aſcen-